

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 78. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415585033936/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

infeliciter gesta regis Christierni non parentis optimorum uirorum consiliis vicio, ac regno amisso tandem ad Daniam reductus carceri mancipatus est, primo in arce Haffnensi, 2^o sub Theoderico archielecto in arce Flijginge, 3^o in arce Helsingborgensi. 5
Nouissime uero diuina prouidentia ad insulam Borgholm est transuectus, ubi Lubicensium beneficio liberandus erat. Itaque a Lubicensibus capta arce eiusdem insule, iam ui occupata a rege Christierno summa iniuria episcopatus Lundensis, captus est 10 cum ceteris, atque a Lubicensibus tantisper detentus, donec in fuga regis Christierni sue diocēsi est restitutus.

Anno dominj .1518. Reuerso ex Suetia D. Ioanni Angelo Arcimboldo in Daniam posite sunt insidie 15 a rege Christierno, quas cum rescuisset idem Arcimboldus, clam fugit in Suetiam et inde soluens traiecit in Germaniam magno suo commodo. In Dania interim confiscantur omnia, que legati nomine diuersis in locis erant deposita. Carceri uero mancipatur eiusdem Legati frater D. Antonellus uir nobilis, ciuis Mediolanensis. Nec antea liberatus est, 20 quam e regno fugeret Christiernus rex. |

Obitus Birgeri archiepiscopi.

Anno domini .1519. mense Nouembri, ipso die 4^o beati Clementis pape et martyris, mortuus est Reuerendus in Christo pater ac dominus D. Birgerus 25 dei gratia archiepiscopus Lundensis plenus dierum. Hic ex patre Gwnnaro pauperrimo edituo parrochie Lindebjerg aquilonaris Hallandie ortus, cum esset statura pusillus, ac toto corporis habitu humilis, 30 creuit tamen in magnum uirum, nullis humanis presidiis adiutus, sola uirtute et diuina prouidentia.

Fuerat primum pastor ecclesie Calundeburgensis, Cancellarius quoque illustrissime regine Dorothee, deinde archidiaconus Roschildensis. Nouissime uero anno dominj .1497. factus est archiepiscopus Lundensis. Huius archiepiscopi temporibus conabantur predones et sacrilegi aliquot Schanienses, solo titulo nobiles, vim inferre ecclesiasticorum rebus, uidentes illum humanis presidiis destitutum. Ipse uero in domino spem repositam habens, et in futurum nichil reponens, presentibus rebus tanta prudentia est usus, ut uiribus et copiis militaribus supra innocentiam uite omnibus hostibus, quantumuis uiolentis et ferocibus, semper haberetur superior. Ab huius obitu decretum est a magistratu regni, ut posthac nullus sit futurus in hoc regno episcopus, nisi qui fuerit claro genere natus. Qui huic decreto subscripserunt, putabant, rem ecclesiasticam amicorum potentia et humanis presidiis fore tutam, ignorantes miseri, non alia re magis offendi deum, quam hoc personarum respectu, nec ullam esse maiorem ecclesie ruinam quam quorundam nobilium uanitatem et fastum, adeo seruientium uite licentie, ut uite innocentiam ac religionis Christiane pietatem non solum extinguunt, uerumetiam plane contemnunt. Quod potentia, uiolentia, strepitu, fastu, pompa, ambitione, ac humanis uiribus constat, non potest esse diuturnum, sola uite innocentia, morum integritas ac religionis pietas, etiam hominis obscurissimi, meretur apud deum tutissima ecclesiasticis rebus presidia.

Eodem anno, Dominica Letare, celebratum est prouintiale capitulum ordinis carmelitarum in monasterio Landiscronensi, vnde promoti erant ad no-

Collegium
carmelitarum
Haffnie in-
ceptum. 1519.